

(3) *Ratione fidei specialiter promissa seu clientele*: Ut si quis alteri fidem & clientelam promisit, ut contra hostiles insidias sit tutus: postea verò indicat, quod iste secum sit, atque ita eum hostium potestati & arbitrio committat: Hinc quartò modò potest *Proditor* dici, si is, qui *infidem & clientelam* receptus, Dominum suum prodatur, ut si *Vasallus & Clientes* tanquam perfidi erga Dominum suum ita nefariè procedant. Decianus *Tom. 2. lib. 7. c. 29. & 31. de Criminib.* Gilhaus. *ad h. art. pag. 15.* Crusius *de indic. delict. lib. 2. c. 4. n. 18. & seqq. p. 54.*

II Verba nostri articuli diversimodè explicantur. (1) Quidam ea intelligunt de suspecto, qui visus est apud eum, quem prodidisse insimulatur, quò sensu Carpzovius *part. 3. quest. 122. num. 83. f. 201. Pract. Crimin.* verba illi accipit, quando ait: *Si quis intraverit dolosè domum ejus, qui postea proditus est, & nihilominus prætendit, sibi ab eo insidias structas esse.* Alii verò intelligunt verba de tali suspecto, qui aliis in prodendo operam confert, uti Remus *in paraphr. sua pag. 52.* ea declarat, ac si iste illis qui prodicionis crimine sunt infamati, auxilium præstet; Verùm ipsum textum inspicienti patebit, loqui istum de eo, qui aliquem aliis prodit, & se simulat, se ab iis, quibus alium prodit, securum non esse, cum tamen cum illis visus sit conversari.

Quinqve autem requiruntur ad hoc, ut Proditor possit sub tortura interrogari: (1) *Ut homo suspectus non adeò bonæ fame sit & existimationis, sed talis, qui malè apud alios audit, & in quem suspicio ejusmodi facinoris cadere potest.* (2) *Ut prodicionis insimulatus cum iis conversari visus & deprehensus sit, quibus alium prodidit: conversatio siquidem, cum malis hominibus sinistram generat suspicionem contra suspectum: & præprimis si ingressus fuerit domum ejus, quocum ipse est conversatus.* (3.) *Ut istæ conversatio facta sit clam, & præter solitum morem, modo tamen suspecto & periculoso.* Etenim, qui clam cum alio conversatur, & omnibus modis cavet, ne sua conversatio cum quibusdam hominibus aliis innotescat, sed quantum fieri potest, detegatur, illa conversatio præbet indicium suspicionis; præsertim si accedat mos insolitus, suspectus & periculosus, quoniam quæ sunt clandestina & insolita, non carent suspicionem fraudis, per l. 54. ff. de Admin. & peric. tut. c. Clericus 20. dist. 81. (4) *Ut simulatio quædam accesserit; Simulatio quippe est proprietas proditorum: nam prodere, quid est aliud, quam diversum animi consilium in ipsa actione ostendere: nam uti Remus in Notis ad paraphras. suam hujus artic. 42. p. 52. ait: Prodere est aliud agere, aliud animo gerere:*